



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Collegiis Canonicoꝝ Per Germaniam, Belgivm,
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani
Prouincias, Liber Singvlaris**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1615

Capvt CXXVII. Sancti Viti Collegivm Cathedrale Leouardiense, in Frisia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11227

SANCTI MARTINI COLLEGIVM
Cathedrale Groningense.

Collegium istud est Canoniorum no-
uem, præter Episcopum, qui decimus
censetur. Cui capitulo sustentando, anno
1568. adsignatum est monasterium Ezense,
ordinis S. Augustini & *Vitteurumense*, cum
suis prouentibus; Episcopo autem seorsim
attributa est cum suis redditibus *Abbatia Audar-*
diensis, ordinis Cisterciensis propè Gronin-
gam. Constitutum est autem collegium istud
Cathedrale in Ecclesia olim parochiali Sancti
Martini Groningensis.

Primus Episcopus Groningensis fuit, *Ioan-*
nes Knysius, patria Ultraiectinus, ex ordine fra-
trum Minorum de obseruantia, qui an. 1568.
pridie S. Francisci solenniter introductus est
Groningam,

Ceterum opida diœcesis Groningensis sunt
ista: Groninga, Dammum, & Couordia.

SANCTI VITI COLLEGIVM CATHEDRALE
Leouardiense, in Frisia.

Collegium istud Canoniorum decem
sex monasterio Mariæ Gardensi anno
1570. est erectum, per Cunerum Petri I. Episc. Le-
ouardiensē, monachis veste monastica liberatis,
primisq; Canonicis Leouardię cōstitutis. His
idē Episc. sex canonicos adiecit, in eorū sub-
fidia

fidia totidem Capellanijs, ad S. Vitum, in Canonatus transformatis; & sic in hoc Capitulo vnà cum Episcopo sedecim solent esse Canonici; vt tradit Suffridus Petrus in Appendice ad Ioannis Becani historiam Episcoporum Ultraiectinorum.

CAPVT CXXVIII.

S. BAVONIS COLLEGIVM CATHEDRALE
Harlemense in Hollandia.

Capitulum istud Cathedrale constitutum fuit, ex monasterio *de Heylo* Canonico-regularium prope Alcmariam, & ex Capitulo Canonico-regularium in *Geervliet*. Quod quidem Capitulum ex *Geervlito* Harlemum an. 1571. transtulit Godefridus à *Mirlo* II. Episcopus Harlemensis.

Opida diœcesis Harlemensis sunt ista: Harlemum, Amstelodanum, Alcmaria, Beuervvicum, Monichedamum, Edamum, Purmerenda, Horna, Enchusa, & Medenblicum.

Primus Episcopus Harlemensis fuit. *Nicolaus de noua terra*, Georgij Egmondani, Ultraiectensi Episcopi olim suffraganeus, qui cum annis decem præfuisset, ob aduersam valetudinem, Episcopatu cessit.

Nicolao anno 1571. successit est *Godefridus à Mirlo natus*, in pago Campiniæ Brabantinæ, eiusdem nominis, ex ordine Fratrum Prædicatorum conuentus *Silux-ducensis*.

S. MA-